

Aestate lutum quod stagna exsiccantur, olen. Septembri, quod luto putrescente pinguiores evadant, insalubres sunt. Optimi qui circa Abderam, deinde qui circa Sinopem capiuntur. Romae maxima ovorum gratia, quae teste Jovio, geminis folliculis circumcisâ parte feminis, recentibus Cephalis eximuntur, et nomen ἡῶ ταξιχών, ovorum salitorum apud Graecos obtinuere. Quantum

ad Medicinam, Ventriculus Mugilum, seu in cinerem redactus, seu in fumo siccatus, et vel vino albo, vel aqua absynthii ablatus, et in cibo sumptus, ventriculi exsoluti vires non minus quam ventriculi gallinarum potus interna reficit. Elixus in vino et ex aceto sumptus vomitum compescit, prodente omnia Rondeletio. Lapilli in cerebro contra Neprhitim valent.

## CAPVT V.

*De Capitone Anadromo Gesneri.*

TAB. XXIII. *C*apitonem Anadromum, *Gesnerus*  
6. *et Kentmannus descripsere.* Na-  
Aldrovand. *funtus, inquit, ille, videtur, promi-*  
*nente et carnosa superiore oris par-*  
*te, ut in nostris fluminibus, is quem*  
*Nasi nomine descripsimus: cui etiam*  
*reliqua corporis specie per omnia*  
*adeo similis est, ut discrimen nullum*  
*animadvertissem, ne colorum quidem*  
*fere, nisi quod Albinus hic Nasus*  
*magis albicat, noster fluviatilis, ve-*  
*ro magis fuscus est. Sed noster plane*  
*fluviatilis est, Albinus e mari ascen-*  
*dit: praeterea noster vilis et plebeius*  
*est, Albinus vero inter laudatos,*  
*praefertim affus. Hoc etiam notan-*  
*dum, cum Albinus alio nomine *Blic-**  
**ca* dicatur, longe alium pisces eo-*  
*dem nomine a nostris vocari, de*  
*quo egimus inter albos pisces. Mis-*  
*eni etiam Zertam dicunt, quod no-*  
*men etiam Polonis usitatum audio.*  
*Zerta* inquit Kentmannus, pisces lon-  
giusculus, argentei nitoris, *squammis*  
parvis tegitur, dorso subfuscus: *pinnis*  
quae ad branchias sunt et parte supi-  
na rutilis, paucō caeruleo admixto.  
Linea utrinque a branchiis ad cau-  
dam tendit, in qua puncta fusci col-  
oris digeruntur. *Caput* crassiuscu-  
lum, oculi pulchri, magni, albicantes,  
nares magnae non procul ab ore. *Os*  
molle prorsus, in quo nec dentes  
sunt, nec alia asperitas, sed ab initio  
gulae seu faucium, maxilla utrimque  
valida, dentibus senis oblongis val-  
lata. Maximi hujus generis pisces  
qui apud Misenos capiuntur, bilibres

funt. Libram XVI. unciarum dico. Anno toto ex Oceano in Albinum a-scendit hic pisces, maxime vero circa Pentecostem, qui tempore parit, mi-grare solet, tunc etiam ad cibum prae-fertur, quod foeminae ovis plenae sunt. Manent et pariunt in Albi, pro-ficiuntque ipsi et soboles: augmentur enim et pinguescunt. Vescitur omne genus pisculis, qui nullis praeser-tim spinis et aculeis rigent: item mu-scis aliisque insectis, quibus intra aut proxime supra aquam potitur. Ha-betur inter optimos qui in Albi sunt, assari solitos pisces. Caro enim ejus optimi saporis est. Rite etiam elixus non male sapit. Desquamatus nem-pe, exenteratus et elutus, in aquam fervere incipientem immittitur, con-ditusque ac salitus ad juris fere con-sumptionem coquitur, quo modo permulti etiam alii fluviatiles pisces elixari solent. Sunt qui juri haud fe-re consumpto copiosum butyrum ad-dunt, eoque liquato pisces inferunt. Potest et aceti aliquid affundi, et Zinziber aspergi, pro cujusque pala-to. Affus vel simpliciter, vel cum embammate e caepis minutatim concisis, vino, croco, saccharo et zinzi-bere, fapidissime estur. Nec dispu-erit desquamatus, in frusta conci-sus, quae in polenta aut secalis polline volvuntur, atque ita in butyro five crudo sive liquato frixus. *Haec omnia Kentmannus.* Addit Gesnerus non in Albi tantum, sed Sala etiam apud Mi-senos flumine Zertam capi.